




# PHOSPHORVS HERMETICVS

*Quo*

*tum Antiquorum, tum Recentiorum improbatis,  
tamquam difficultatibus obnoxijis,  
Via sicca, & Via humida  
Magisterijs,  
Compendiosa Methodo probatur  
Sublimiorem Philosophorum Lapidem  
Ex solo Auro elici debere*

Ad Sacram Cæsaream  
Maieftatem  
**LEOPOLDI**  
**SEMPER AVGVSTI**

TEOPHYLVS NOVALCKINDVS,



F A N I. M. DC. LXXXIII.

---

Apud Gaudentium. DD. Superiorum Licentia.





3

Sacre Cęsareę Maieſtati

LEOPOLDI

SEMPER AVGVSTI

GLORIAM, ET FOELICITATEM.



*I*n solo Sole terreno, amplif-  
simi Regni Mineralis cur-  
etę, quamvis congregatę,  
& collectę sint vires, (Sa-  
cratissime Imperator, sem-  
per Auguste), eò tamèn ob corrupti Sęculi  
inscitiam peruentum est, vt quę per ipsius  
ignea spiracula singulariter disseminan-  
tur, per fuliginosam Chemicorum turbam  
atris, ac densis in tenebris quęrantur:  
Hinc Phębus Regno in tanto derelictum se  
videns, ad Te, qui Mundi Sceptrum, &  
Gubernacula tenes, prostratus confugit,

*immensa Tua bonitate sibi prommittens, à  
 seditiosa illa dementium colluue non so-  
 lum tutum Patrocinium, sed Regia, &  
 Imperiali Virtute Tua in Regnum cum in-  
 tegra obedientia debitam suorum Ciuum  
 reuersionem: Hilari igitur vultu excipias  
 ipsum, qui si gratiam tuis in oculis inue-  
 nerit, currentem illam Lunam, omnia,  
 hostiliter peruadentem ita sistet, ut in  
 posterum Maiestati Tue Sacratissimæ sit  
 annua vectigalia tributa obsequentissime  
 prestitura: Vale in eternum.*

3  
A V T H O R I S

Ad Candidum Lectorem

Prefatio.



Am Hermeticæ Disciplina  
ne Germani Philosophi,  
& ingenui Professores,  
qui siccam Viam sibi fami-  
liarem reddidere, factis,  
superquè demonstrarunt, ex Mer-  
curio, tam vulgari, quàm ab imper-  
fectis educto, ac Auro, & Argento  
venalibus, præparatis, simul resolu-  
tis, mòx separatis, subtiliatis, dige-  
stis, ac iuxtà Sapientum Regulas ite-  
rùm commixtis, & per conuenientem  
ignis subministrationem ad vnitatem  
reductis, decantatum Philosophorum  
Arcanum elici posse, imò deberi;  
Qui verò humidam Viam consecuti  
sunt

sunt, omnia metallica formalitèr spre-  
uere, & seridè Posteritatem edocue-  
runt, Lapidem illum præciosissimum  
eruendum dumtaxat fore à Subiecto  
quodam Minerali, Mercuriali, & Sul-  
phureo, quod nobis sub nomine Me-  
talli Primi, siuè Masculi, ob sui singu-  
laritatem, ac Electri quoquè mineralis  
immaturi, indigitarunt, quæ sanè Me-  
thodi differentia Tyrones non solùm  
plerumquè torsit, verùm & spectatæ  
notæ Philosophos eò deduxit, vt Ar-  
tem fallacissimam, inuita Minerua, de-  
predicarent: Recensiores attamen  
Scriptores, infelicem errantium for-  
tem commiserantes, tali Labyrintho  
inuolutos extricarunt, & vtriusquè  
Magisterij Theoriam non solùm Mun-  
do communicarunt, verùm & com-  
pletam Praxim ità antè oculos posue-  
runt, vt obcæcati penitùs, ac sine vl-

lo mentis lumine non immeritò pos-  
 sint iudicari, quos Veritas ipsissima  
 non patebit. Lubens tamèn fateor,  
 id nequaquàm intelligendum pro Phi-  
 losophastris Sophystis, qui, superbia  
 turgidi, per fallaces sillogismorum ar-  
 gutias intima Naturæ penetralia per-  
 uadere, sibi temerè supponunt; Vt  
 verò isti tandèm resipiscant, & con-  
 uersi Veritatem cognoscere possint,  
 decreui breuiter primis in Capitulis,  
 de his singillatim differere; In reli-  
 quis verò irradiare sibi complacet  
 mentis acumen Phosphorus noster,  
 qui altiùs scandens, internitentem  
 illam Phæbi scintillulam erigit ad su-  
 blimiora: incredibilem sanè parado-  
 xum, horrendum, nè dicam, Mon-  
 strum, tam ignarus, quàm aliqualitèr  
 prudens Vulgus, Mortalibus Me obji-  
 cere, primo animi impetu susurra-  
 bunt;



bunt; at Ego, qui ipsissimam Veritatem scribere profiteor, iuro sacrosanctè, Phosphorum hunc talem emissurum lucem, vt credentibus Introitum apertum ad oclusum Regis Palatium sit ostensurus; non credentibus verò, & caliginoso suo cerebro fidentibus, eam sit perniciem incussurus, vt oculorum immedicabili lippitudine oppressi, Cymmerias prolapsuri sint in Cryptas, Vespertilionum ad instar, Solem non solùm, verùm & ipsius lucis splendorem haud quàm ferre perpetuò valentium. Felices inter doctos fulgebunt, qui scriptis fidem adhibebunt; Miserimi verò inter infelicissimos non credentes peribunt. Quidquid sit, nil ad Me; Contrà negantes Artem irascor solùm, & insipientissimos illos, qui extremè immoderatissimo non solùm  
 exci-

excipiunt cachinno, sed asperius, quàm par est, Hermeticam Disciplinam iurgijs calumnijs, probris, maledictis, & execrationibus insectantur; Hisce sanè *Sycophantis*, ac *Coruis* dignum foret responsum, *Margaritis non vesci Porcos*, nec ignorantes, & *Pseudophilosophos* regiae mensae Solis admitti nostri: sed *Oscuros* quoscumque absque conuitis (vt *morigeratum* spectat *Philosophum*) vocem intorquere, ac declinato capite acquiescere ab experimento, mitius elaborabimus, quod cum *Adepti*, mihi noti placito (qui mecum tractans familiaribus litteris multa communicavit) diuulgabo, quo *Operator* quilibet mediocris, redarguentium ignorantiam, & *Pesulantium* incredulitatem reprobare queat, ità tamèn exponam, vt *Veritas*, non diuitiæ, possibilitas,

litas, non opes, refulgeant: prò cuius intelligentia (gratis nunc elargior mihi cum adepto citato impertitum minus) supponendum, cuiuslibet Corporis metallici exterius interiori alicuius correspondere, vicequè versa, interiùs exteriori alicuius esse affine; quare in transmutatione operæ præmium est, vt centrum cuiuscumquè imperfecti consideretur, & cum quo habeat correspondentiam, tunc si inueniatur conuenire cum Sole, cum Auro per debita media coniungatur, & inseparabiliter vniatur; si cum Luna, idem cum Argento præstetur, sicquè per vnum subuenitur alteri, & relictis facibus separabitur in testa nucleus à cortice, optimum à pessimo, incombustibile à non fixo, & adurenti, reliquum ignis deuorabit; Sed accedamus ad prommissum experimentum,

tum, nè tamquàm à proposito diuersi  
 exhibilemur, ab Aduersarijs, quod, oh  
 vtinàm ex condigno ingurgitent! Sa-  
 turnus, puta, in suo centro conuenit  
 cum Luna, quare si nitro sæpiùs com-  
 buratur, dabit Argentum in testa, &  
 hoc secundum Operantis industriam:  
 videte Lectores, an manus Charitatis  
 porrexerim, vt mentem ad altiora eri-  
 gere possitis; mirificas namquè Natu-  
 ræ dotes si olfeceritis introrsùm, diu-  
 turna decoctione magis alterabitis,  
 consequentèrquè maiorem argenti  
 copiam nanciscemini; Hic priùs vo-  
 lentibus operari, quàm scire satisfe-  
 cimus, ideò scrutantibus altiùs, & ex-  
 perimenta tentantibus non absque  
 causarum cognitione, æquum censui-  
 mus (nè ab ipsis vti inuidiosi taxemur)  
 consulere, vt sedulò, ac diligentèr  
 ponderent, quæ scripserimus, sincerè

admonentes, non solum se Veritatem, sed commodiora pro necessarijs impensis parare posse, dumodò prescriptis, & prescribendis insistant vestigijs, quibus directi vltro perfectiora reliqua reddent imperfecta Metalla. Tres igitur, (vt clarissime, & absque ambiguitate loquar) libræ Saturni, fusi in saxtagine ferrea incinerantur cum vnica libra Salisnitri puluerati, continuè ferreo baculo agitando, quòd ad probè Saturnus sit calcinatus; Calx hæc in Capella Argentum cum lucro, quamuis paruo, reddet; quæ si vltro communi abluetur aqua, descenderequè elaborabitur per Botum, iterùmquè incinerabitur, media sed tantùm libra supradicti Salisnitri, in subtilissimum puluerem contriti, clarè perspicietur opulentiorẽ. Artifici commodare testam, Argentum, & lucrum

erum multiplicari; hùc vsquè etià m.  
 nolens currenti calamo proinsipienti-  
 bus, vanissimis, ac omnium perina-  
 cissimis me explicui, & inuitus, obli-  
 tus Sanctum non deberi canibus: Me  
 iterùm ad probos maioribus conuer-  
 tam, qui si naturalium causas Pruden-  
 tèt, & strictim percurrent, & iuxtà  
 rationem, non verò placitum, opera-  
 buntur, non difficultèt in mirabilia  
 exaltabuntur, ac sibi, suisquè vehe-  
 menter expedient, cum non sit ratio  
 diuersa vnius ad duo, vnum si quidèm  
 habenti vniuersi conclamant Philoso-  
 phi, leue, vltroquè leuissimum ad duo  
 peruenire, licèt hoc cum grano salis,  
 factis, videlicèt subtiliationibus, &  
 operationibus; Aliam pijs, miseri-  
 cordibus, ac dignis hùc paritèt lubet  
 accendere Facem, qua magis clarè il-  
 luminaturi sint, & perspecturi supra-  
 scriptam

scriptam Veritatem : attendant quæ-  
 sò aures doctrinæ avidas, eruditas, ac  
 capaces habentes, ideò præfatum Sa-  
 turnum, in calcem redactum, Lunam  
 tribuere modico cum lucro, plerum-  
 què etiàm notabili cum expensarum  
 iactura, quia arsenicalia sulphura tra-  
 hunt, secumquè in testa abripiunt Ar-  
 gentum, vt Metallarijs notum est ;  
 quare multoties, imò passim, apud Au-  
 ctiores perlegimus, & præcipuè *Para-*  
*celsum, Arnaldum, Raymundum, Cor-*  
*talaßeum*, ac innumeros alios, prisco-  
 rum adeptorum documentum exti-  
 tisse, vt imperfecta de necessitate fo-  
 rent præparanda, ac purificanda, antè  
 ipsiusmèt Lapidis projectionem, ex  
 eo quod non minima ipsius pars fèci-  
 bus cumbiberetur terreis, & arseni-  
 calibus, sicquè haud exiguè, eius vir-  
 tus, & actiuitas retunderetur, siuè im-  
 pedi-

pediretur; Si ergò Lapis qui est agens,  
 omni perfectione refulgens, patitur  
 sub arsenicali fumositate; quid patie-  
 tur sub eadem Luna, quæ Metallum  
 est simplex? Quamobrè firmissima  
 comprehendendum intelligentia, Re-  
 tinaculum aliquod, quod, per Philo-  
 sophos multotiès exaratum, Saturno  
 incinerato, & abluto antè ipsius per  
 descensum reductionem, apponèdum  
 sit; mòx calcinatio, vt suprà, reiteran-  
 da, & mox calcinatum Metallum ci-  
 mericio exponendum; hoc si quis præ-  
 stare nouerit, qua micans, & insigni-  
 ta luce Endimioni obuiam Cynthia  
 procedat, immortalitèr gaudens con-  
 tuebitur: idagate Tyrones, indagate  
 quæsò naturalium causarum rationes,  
 nè floccipendite, quæ dixerim: opus  
 vestrum in retinaculo reddite robu-  
 stum, illud quæritur contemplando,  
 & la-



& laborando, non detexi, quia *Geberi*  
 mentem in hoc ignoro; scio tamèn  
 facilè inueniri à sustinentibus patien-  
 tèr ignem; ille siquidèm laborantes  
 ab expensis, & paupertate vindicat  
 omnes; vsquè hùc peruenit Adeptus  
 ille, cui sanè pernotum est retinacu-  
 lum, sed ampliorem mecum, & cum  
 altero Familiari explicationem inten-  
 dere noluit; dicam tamèn pro inge-  
 nuis, quid proprio Marte inuenerim,  
 & probarim: antèquàm vt scripsi in-  
 cineratum Saturnum teste examini  
 supponerem ablutum, super ipsum  
 Salem tartari volatilizatum aliquotiès  
 permixti, vt scanderet, & quæstus cum  
 expensarum compensatione successit  
 non inualidus; Modum volatilizandi  
 detegere prohibeor ab Hermeticis, &  
 Præsertim ab illuminatissimo *Helmon-*  
*tio*, in Medicis asserente, *quousquè*  
*Sal hoc*

*Salhoc non peruenit, vix aliud peruenire*  
*Arcanum*, de quo tamèn hic eius sup-  
 posita doctrina candidè refero, leuis  
 esse eius præpapatationem momenti, si  
 recte nouerimus, quid Tartarus, &  
 quid Sal sit, & per similia, summam  
 fixi superantia, cuncta volatilizari: Si  
 fata vobis, ò Lectores erunt secunda,  
 quantum mihi ex æquitate teneami-  
 ni, conspicietis; Sed iam grauatus  
 audio insurgentim Philosophastrorum  
 Turbam, Canum instar propositioni  
 nostræ oblatrantium, Saturni centrum  
 Solem esse, non Lunam, & propter  
 hoc cõmunitè à Philosophis *leprosum*  
 appellitari *Aurum*, quod paritèr eius  
 in calcinatione manifestissimè indi-  
 cat, & comprobat apparens color ru-  
 beus; Sed vos candidi finite Lectores,  
 finite hos tenebricosos pseudophilo-  
 sophari; isti namquè si considerassent

C

Plum-

Plumbum (vt in Correctione Fatuorum edocemur) ex terreo sulphure, & combustibili, àc ex Argento viuo grosso, mali, pestimiquè saporis, ac virtutis debilissimæ constitui, quo fit, vt per conceptam ignis violentiam facile corrumpatur, intellectu coniectassent, antiquos Philosophos, hoc similitudinariè, & simulatè partim verissimè commentos fuisse, vt ignaros, & incautos, superficialem litterarum sonum, non internum verborum sensum animo complectentes, deluderent, ac deperderent; color siquidè illi rubeus, qui in Saturni Amauso apparet, prouenit ab externo Sulphure motore, quod idè vt extrinsecum facile per Nitrum comburitur, quo dissipato, Saturni ex centro purissimum emergit Argentum: *Metallica*  
*Astronomia Trithemij* cordatissimè lecta,

ta, & perlectam suprascriptam Mæ-  
 chanicam satis, superquè confirma-  
 bit, quamvis Lunæ pondus Saturnum  
 impartiri, & iurè, tradiderit: caueant  
 tamen in eius lectura Studiosi, ne fer-  
 uido ingenio hallucinentur. Claris  
 loqui non licet; Verùm non inficior  
 depuratum Saturni Mercurium, vt &  
 reliquorum Metallorum in verissimum  
 Aurum non posse definiri, sed hoc  
 absquè Sophorum Lapide succedere  
 nequit, nisi cum aliquali intentione,  
 & reuiuificatione Metallum, vt probat  
*Clauens*, de qua vt mihi adhuc practi-  
 cè ignota, non est, quod differem, Va-  
 nissimos eos imitando, qui de se mul-  
 ta temerè presumentes, aniles nugas,  
 & fabellas turpissimè scribellarunt,  
 sicquè Mundo se irridendos præbue-  
 re; Nobis hætenùs sufficiat tradito  
 Saturni experimento Artem ab impo-

floribus vindicasse in Peritorum decus, & gloriam, in hæsitantium, & errantium directionem, in proteruè deniquè negantium opprobrium, & perpetuam confusionem. Sed tempus est tædio longæ Præfationis, & nimis quàm par erat, in longum extensæ, cunctos exsoluere, & nostram in sequentibus Capitulis proponere, & comprobare Sententiam. Dixi.

### CAPVT PRIMVM

*Declarat intentionem Phosphori.*

**M**ltos Philosophorum Lapides, quàm plurimas Tincturas, in & supèr Particularia multa, Phosphorus noster contendit dari tùm cum Priscis, tùm cum Neotericis Philosophis, qui, vt passim apud Adeptos

ptos videre est, *Basilium Valentinum*,  
*Isaach Hollandum*, *Paracelsum*, *Doro-*  
*neum*, *Gastonem*, *Cortalasseum*, menti-  
 tos suis in scriptis non fuisse vnanimi-  
 tèt pronunciarunt ; sed sublimiorem  
 Lapidem, & Medicinam cum *Marsilio*  
*Ficino in Tractatu de Arte Chemica*, ex  
 solo Auro, solaquè Naturà, confici  
 firmissimè tenet, de quo in hoc Libello  
 particularitèr differere profiteretur :  
 Eiusdem verba formalia sunt in Capi-  
 tulo decimo sexto, quibus sic se habet:  
*Mineralem Lapidem trifariam distingui-*  
*mus : Philosophorum Lapis ex solo Auro,*  
*solaquè Natura conficitur, & is est subli-*  
*mior, qui omnes egritudines curare à Phi-*  
*losophis perhibetur ; Alius simplex Lapis*  
*est, quando sola radix, & sulphur Auri,*  
*aut Argenti, in sine spiritibus inferiorum*  
*Corporum augmentantur, ubi hæc pon-*  
*dera ; Vnum ad tria, vel duo ad septem,*  
 in

*in minori Turba posita discutiuntur, solo  
sulphure indigens, aut Aureo, aut Argen-  
teo: ad sulphur aureum tres rubelli Spiritus,  
ad Argentum verò tres albicantes re-  
ducuntur; Modò duo sunt Sulphura, &  
septem Spiritus, ex quibus nouenarius ille  
numerus excrescit, atque colligitur, de quo  
plerique in hunc usque diem stolidè sunt  
commentati: Tertium Lapidem omnium  
Metallorum sulphura cum suis Spiritibus  
constituere dicimus. & quæ sequuntur &c.  
Idem abundè confirmat in quibusdam  
fictis quæstionibus, quas factas recen-  
set a quodam Illardo in Prouincia Ca-  
tilania, vt eius ingenium credo, vnus-  
quisque admiraretur, profundissimè  
siquidè illas, & tam sagacissimè  
composuit, ac intellectui consonas,  
& adæquatas, vt ab Oraculo Respon-  
sa fanè data videantur, illis namquè  
sic totam Artem breuibus complexus  
fuit,*

fuit, vt Sapienti nil in principio, medio, & fine reliquerit necessario desiderandum, quam solum medium, cuius in præparatione, & recta ponderis administratione tota sanè delitescit ipsius Corporis aurifici profunda alteratio, & physica resolutio: præcisum placet hic subnectere responsum ad Quæsitum, vtrum possit fieri Philosophorum Lapis ad conuertenda imperfecta Metalla in Solem, & Lunam, igne iudice? *In Auro namque, inquit, sunt omnia Metalla essentialiter cum suis terris in colore multiplici; ex terra eius cum essentia sua conficitur Lapis, qui natura sua omnem immunditiam auferit, & proiectus ad imperfecta fixat ea perpetuo. Et postea sequenti in Quæstione subiungit, quod illa essentia est anima media natura, que permittit vnâ formam conuerti in aliam, & quod color*



*Auri est Corpus Animæ, mediæ Naturæ;*  
 Intentio igitur Phosphori nostri præ-  
 cipua, & finalis est, quòd vnicum ve-  
 nale Aurum, colore suo separatum, &  
 diuisum, coniunctum iterum, & exal-  
 tatum, ex se solo perfectissimam,  
 & sublimissimam Tincturam suppedi-  
 tare possit ijs, quos verè æquus ama-  
 uit Iuppiter, & ardens euexit ad æthe-  
 ra Virtus; & quod partipendendum  
 non est, laborem profectò requirit re-  
 spectu aliorum Lapidum, & Tinctu-  
 rarum, ità insensibilem, vt Vasorum  
 habita sufficienti quantitate, Opera-  
 tio quouis mediocriter instructo Arti-  
 fice facilimè absoluatur: Huic ergò  
 insistant alacriter omnes, reliquaquè  
 prætermittant Arcana, tamquam diffi-  
 cultatibus summis, & periculis obno-  
 xia: Nàm si quis intendat Opus cum  
 venali Mercurio perficere, oportet  
 cum

cum *Gebro* illum à superfluis terre-  
 streitate, & humiditate liberare, quod  
 defidis non est ingenij hominis, nec  
 duræ ceruicis, licèt in Capitulis spar-  
 sis absolutum tradicerit modum pera-  
 gendi, qui vltro difficilimus, prima  
 quamuis fronte mediocris apparet,  
 nam per me ex eius mente subliman-  
 dus venit, & cum quibus non conue-  
 nit, & cum quibus conuenientiam ha-  
 bet, quæ vltima Męchanica ità deter-  
 ruit Modernos Operantes, vt Magi-  
 sterium impossibile desperati credi-  
 derint, & ideò imperfectum relique-  
 rint, quoniàm cum sublimatione  
 ipsius à Corporum perfectorum calci-  
 bus oculis viderunt amplius infici, &  
 denigrari, quæ cuncta illis exitij, &  
 causa mali omnis fuere, dum ete-  
 nim momentaneum bonitatis incre-  
 mentum speratum, non viderunt, la-

D

bores

bores proprios, veros, reales, naturales, & phycos ob inſcitiam longo tēdio defatigati, oh quàm abſurdiſſimè dereliquerunt: Quidam verò Moderniores non indoctè putarunt, neceſſariò Argentum viuum vulgare ad homogeneitatem non ſolùm per ſimplicem ſuperfluitatum auferentiam redigendum, ſed & ipſi deficientia neceſſariò introducenda fore, quæ tamèn à Corporibus perfectis non eſſent comparanda, ( vt ego paulò ſupra innui de intentione *Gebri*, quidquid dicant alij ) ſed ab imperfectionibus deſumenda; aſt multiplices eorum opiniones, propria confirmatæ experientia, qua fundamentalitè imbutæ, proprio Genio complacuerunt, Tyrones nouis in Labyrinthis implicuere, quippè cùm *animandum* aliud dixit *Mercurium cum Regulo Stellato*,  
alter

alter cum Plubbosolo, alter cum singulis  
 ex imperfectioribus omnibus, quæ res ef-  
 fecit, vt multiplici Sententiarum di-  
 uersitate territi Opus ommisserint, ni-  
 hilquè de Arte crediderint; Sagacif-  
 simi verò, qui illud Metallorum pri-  
 mordiale principium agnouerunt, fir-  
 miter concluderunt, *Mercurium vulgi*  
*quomodocumquè preparatum, nullatenus*  
*Magisterium nostrum ingredi posse;* Alij  
 verò non totalitè illum reiecere, sed  
 tradiderunt indigere præcitato *Mercurio*  
*Sophyco, qui illum extimè, & intimè re-*  
*purgaret, & soluendis Metallis redderet*  
*aptum;* Alij verò dixere id quoquè liquo-  
 rem *Alchaest* præstare posse, verùm quo-  
 niam multi legerunt apud *Helmontium,*  
 qui suis in Scriptis veridicus iarè ab  
 intelligentibus censetur, *Mercurium*  
*venalem per simplicem ipsius abstractio-*  
*nem congelari, & figi in Arcanum illud*

*Corallinum examina, cæmentaque ignis  
 sustinens, hanc sententiam totalitèr  
 improbarunt, cùm Sophorum Mer-  
 curius non fixus, sed volatilis esse de-  
 beat: Si verò laborare quis percupiet  
 cum Spiritibus inferiorum Corpo-  
 rum, auro soluto copulatis, & ex ijs-  
 dem pulveres, aliquo modo tingentes  
 conficere, audiat quæso, quid mihi  
 scripserit notus Adeptus, Eius præci-  
 sa sunt verba: Qui sic operatus fuerit,  
 plerumquè sanè in Quartali, Antimonio,  
 & Cæmentis, non constantia, & fixa in-  
 ueniet adulterata Metalla, quæ transmu-  
 tata videbantur: fixitatem namquè, in  
 igne perseverantem nullatenus acquirere  
 valebunt, nisi per multiplices, repetitasuè  
 solutiones, congelationes, decoctiones, &  
 fixationes, quæ non nisi laboriosè, & dif-  
 ficilimè parantur; Ego ipse, (idem sub-  
 iungit Adeptus) tibi attestor candidè id  
 Ro-*

Rome, & Mediolani Opus summa cura paratum vidisse à quodam Peritissimo Neapolitano Bernardo, cuius tamèn non perfectè transmutata Metalla, debiturum Operationis reiterationum defectu, tertio, & plerumquè secundo tormento evanescebant: Ex illis ergò si quis quæret materiam Opus magni laboris (sic deniquè concludit) utilitatis minima insumpsisse post tempus aliquod experietur; sin verò formam conetur præparare, quod non est impossibile, illam Auri formam, vel Argenti ex Adeptorum consensu illuminandam censemus, quod & totum requirit Hominem, nec tam modicum impendium, oportet etenim, ut verbis familiaribus alloquar, unam formam convertere in aliam, ita ut ex duabus una absque binario resultet; sic etiàm de Corpore intelligendum est, aliter duo centra obtinerent unicam peripheriam, vel duæ peripheriæ  
uni-

unicum eentrum, quod est absurdum; Viderint ergò Lectores, quid scripserim, nam hìc per transenam totam detexi Naturam cùm modis, diuersos procreandi Lapides; Arcana capiant, qui possunt; Nàm quamuis multi diuersa dixerint, longè verissimum est, vnumquemque suam sibi mereri fidem, nam per diuersas Vias semper tenderunt ad idem, quas facile dignoscet, qui Tumbam Semyramidis, olim à putatitio Phylosopho phantasticè, non Hermeticè sigillatam, & Vniuerso Orbi mox reclusam ab Anonymo (quem præcæteris veneror, ipse siquidem fuit primus, qui me à multifaria errorum confusione reuocauit) perleget diligentèr; Ad illum ergo remitto Lectores, cùm sit tempus meam comprobare Sententiam,

## CAPVT SECVNDVM.

*Auctoritatibus, & rationibus physicis probat ex solo Auro preciosissimum confici Philosophorum Lapidem.*

**T**estificabuntur ad credendam Veritatem, præter Rationes in medium adducendas, philosophicæ auctoritates, quibuscum ex communi Sententia non altercandum, sed contiscendum venit, illis siquidem detrudere insipientis est: prætersuprà allegatum, *Marsilium Ficinum, Alberti, illius cognomento, Magni* doctrinam non incongruum duxi recitare, quam edidit in Libro *de concordantia Philosophorum in Lapide* capitulo quinto, in quo de Corporibus perfectis disputans, sic allocutus est: *Sed de secundo, scilicet de corporibus perfectis, ut supra iam*



iam statim tactum est, fateor, quod val-  
 dè difficile est, talitèr Corpora per se ita  
 digerere, ut in naturam Mercurij, siue  
 mercurialem commutentur & forte vita  
 Hominis talem subtiliationem, siue subti-  
 litatem perfectè non expectarent, cum ta-  
 men non sit impossibilis, quia per ignis ad-  
 ministracionem, videlicet caloris, humi-  
 ditatis, ut putrefactionis, etiam quan-  
 tumcumque sint fortis compositionis, etiam  
 possunt alterari, & per consequens in Mer-  
 curium benè subtiliari, tunc ob talis tem-  
 poris longitudinem, non est inconueniens  
 asserere, quod benè possit admitti prepara-  
 tio cum rebus extraneis, scilicet Salibus,  
 & aquis acutis, putrefactionibus, & so-  
 lutionibus, assationibus, & calcinationi-  
 bus, ac alijs quibuscumque, ut ipsa Corpo-  
 ra perfecta, quæ sunt Philosophorum, sub-  
 tilientur, siue in naturam Mercurij prepa-  
 rentur, & tunc talia remoueantur: paulò  
 infe-

inferiùs postea adijcit, *talem modum subtiliationis Corporum perfectorum tendere in naturam Mercurij, non verò in Mercurium vinum, quia si in Mercurium vinum, frustraneus esset labor, cum possemus sic operari in vulgari Mercurio.* Hanc roborant propositionem Arnaldus in *tertia Questionum, Essentialium, & Clauens*, si benè memini, de *triplici preparatione Salis aurifici, & argentifici, vbi profitetur, se nouisse modum, solo igne Aurum in Oleum conuertendi, quod postea, nesciens, dubito, hoc nostrum vniuersalissimum Opus, Mercurio præparato, ac depurato indè miscet, sublimat, ac in Salem definit aurificum, & vt apud eundem manifestæ insanix speciem erit, si quis contrà fillogizabit, hæc ideò probabiliter dixisse Albertum, quia repugnare non videtur naturæ, & proindè adiunxisse,*

*vix vitam Hominis, imò non sufficere;*  
 in primis namque opposuit, quòd ipse  
*vix fortè crederet, & mox subiunxit,*  
*cùm tamen non sit impossibile: Quid sibi*  
*vuli hoc, quam fateri verum esse, sed*  
*valdè difficile; & ego, vt pro veritate*  
 dicam, existimassem impossibile con-  
 uersionem illam per artem, ni profun-  
 dissimi Hominis, & tam celeberrimi  
 Philosophi sententias venerarer, quas  
 pernegare intolerandæ temeritatis es-  
 set; Si ergò cum rebus extraneis, sci-  
 licèt Salibus, & Aquis acutis, indè re-  
 mouendis, potest Aurum subtiliari, &  
 præparari in naturam Mercurij, à for-  
 tiori sanè licet argumentari, id multò  
 faciliùs præstari posse per Menstruum  
 aliquod siuè Metallicum, siuè Minera-  
 le, quod Soli non sit inimicum; & vt  
 magis dicta mea confirmem, intelli-  
 gentes rogo, vt attentè legant illud

*Alberti capitulum, & videbunt sanè, quod Sapiens ille locutus apparet de ijs primò, qui intendebant cum rebus extraneis Aurum præparare in Aquam mercurialem, postea secundò, si benè Caput introspexerint, vltro per ipsos concludetur, & rectè, præcitatum Albertum non solùm affirmasse, vt ex eo solo possibilis esset Lapidis confectio, at insuper fatebuntur ipsum haud la-ruisse modum, quo talis præparatio breuissima, & longè facilima subtili-atione physicè foret assequenda, cum paulò inferiùs exponat: Alij autèm alio modo subtiliant Corpus perfectum, seu per calcinationem, & tunc cum aqua argenti &c. seu alia solutiua aqua cum assatione, et iterùm Corporis reiteratione talia faciunt ubtiliando, & sic laborant, quousquè ipsa Corpora in Naturam Mercurij quoad tin-cturam totalitèr conuertantur. Et in fine*

Capitis afferit fuisse multos Philosophos, qui Lapidem notum, siue perfectum Corpus, idem depuratum, & subtiliatum in igne fixationis posuerunt, dimmissa sublimatione, & depuratione completa, & sic in tantum Lapidem fixauerunt, ut omni humiditate priuauerint, propterquod in desperatione deducti sint, quoniam non intellexerunt, calcem prius cum propria aqua exaltandam; hoc in passu Albertus, profecto reijciens operationem priorem, uti laboriosam difficilissimam simul, ne dicam impossibilem, Magisterij nostri breuissimam operationem compendioso quamuis sermone complexus est, quam nos integram ita dabimus in huius Libelli praxi, & si aliquo sub velamine, ut vix fideliter Frater Fratri communicare posset: Per antedictorum ergo Scriptorum auctoritates luce meridiana clarius apparuit,

Aurum per diuersas preparationes, & subtiliationes posse reduci in naturam Mercurij, quæ Mercurialis Natura, cum omnium perfectissima sit, indubitatumquè apud quoscumque, & firmissimè inconcussum maneat, Aurum in se continere sulphur, quod ab internis fecibus depuratum, & digestum possit alia tingere, & transmutare Metalla, eisquè impartiri sibi similem in omnibus, & per omnia bonitatem, & perfectionem, quis negare audebit ex eo solo sublimiorem Lapidè non posse progigni? nec cum superficialibus Logicis argumentandum est, quod Mercurius Auri à suo corpore separari nequit, nisi cum totali partium disgregatione, hoc est & Mercurij, & sulphuris; quamobrèm quotiescumquè concedatur nostrum Auri Mercurium in se habere suum proprium sulphur, de  
ne-

necessitate concludendum, quod semper erit Metallum fixum, malleabile, cum reliquis alijs proprietatibus, quæ illi in sui prima constitutione conueniebant; nam iam supra cum *Alberto* exposuimus, solutionem nostram non tendere in mercurium viuum, & currentem, sed in illam naturam mercurialem, quæ tota oleosa est, & totus Mercurius viscosus, quam Naturam Mercurij Sohyfticę Scholæ nunquam videre, nec in æternum videbunt, nisi in Diuersorijs larga Meri computatione æstuantes, ac ebrij postea somniant dormientes; Sed accedamus ad sequens Caput, in quo & ratio altera fundamentalis apparebit, quam hic pro breuitate non adducere placet.

## CAPVT TERTIVM.

*Demonstrat, quomodo Auri Phisica  
Solutio instituenda sit.*

**R**Em aggredimur difficilimam ;  
& quæ impossibilis absquè Sa-  
pientum decantato Mercurio vi-  
detur posse comparari ; sed si rectè  
perpenderimus præcedenti in Capi-  
tulo adnotata verba *Alberti*, quid-  
referat *Philaleta in tractatu de inuesti-  
gatione magisterij*, ac quid *Helmontius* de  
suo declamet *Alchaest*, nulla erit tam  
durissima Ceruix, quæ nostram non sit  
complexurus sententiam ; ex supradi-  
ctorum siquidè doctrina liquidò  
constat, vt reliquos silentio præteram,  
duo dari in natura soluentia, naturale  
scilicèt, & violentum : Primum natu-  
rale appellatur, quia sic conuenit cum

Cor-



Corpore dissoluendo, vt in solutione soluto inseparabiliter vniatur tamquam Aqua communis Aquæ; violentum autem secundum nuncupatur, quoniam nullo modo cum Corpore, quod resoluit, miscetur, vel vnitur, verum post resolutionem tamquam extraneum segregatur. Violentè soluentis insuper variæ, sunt species, & diuersæ, quas sagaces excogitarunt in operibus suis Artifices; illarum penè innumeram multiplicatam recensere hîc absolum, & impossibile: quare ferriò notandum est, soluens quod libet violentum pro nostro Opere nequaquam adhibendum, sed menstruum eius proprietatis, & naturæ inueniendum, quod Corporibus perfectis adherere quidem, sed non intimè commisceri, ac vniri valeat; est pariter quàm diligentissimè animaduertendû,

Cor-

Corpus perfectum, Aurum videlicet, in se continere inclusum spiritum, qui separari necessario debet, quo separato, & iterum per crebras, & repetitas contritiones, cohobationes, & destillationes, reconiuncto, penetratur Solare corpus, ac per conuenientem caloris administrationem, debitamue digestionem, in materiam quandam mercurialem, oleosam, viscosam, & sulphuream conuertitur, quibus fuit naturæ primordijs procreatum; Si sensum igitur meum rectissime percepistis Sipientiæ Filij, vtrumque requiri in perfecto Opere Solari, cognouistis Soluens: Primum siquidem violentum corpus adulantè, & blandè emolliens spiritum ab Auro prodire cogit: alterum autem est ab ipsomet corpore extractus spiritus aurificus, qui mox post leuissimas, & facilimas

cilimas indè præparationes, in Vase apto perficiendas, depurandus, sublimandus, exaltandus, ac iterùm proprio cum corpore commiscendus venit, vt ipsum vndiquè penetrando, soluat in illud sulphur, siuè oleum præciosissimum, quod in colore mirabili.

*Emicat, & radijs aduerso Sole coruscat.*  
 Oportebit deniquè prudentem Artificem considerare, quò menstruum illud violentum, vt tetigimus, desumendum sit, ne in cassum laboret, frustraneasquè insumat expèsas, quòd haud difficultè comparabitur, si convenientiam, & disconvenientiam, proportiones, & pondera naturalium intimè quis contemplantur: Hic profectò vnicuiquè Studioso, & intelligenti tam grande arcanum reuelauit, vt incredibile dictu, quantum cælarint primigenij Sapientes, qui non solum

lūm illud per ænigmata, tropos, & allegorias, vt in reliquis consueuere, non patefecerunt, sed tam absconditum mortalibus, ob excellentiam, esse voluerunt, vt nunquàm de eo in ipsorum Libris, quos vsquè dūm videre mihi contigit, particularitèr tractarint, & meritò. Clavis siquidè est præcipua totius naturalis Philosophiæ, qua in Sacrarium Naturæ abditum penetrare valet, & prohibetur vnusquisque; sed quid? Phosphorus noster ad solarè veram semitam dirigit omnes; & ideò sciant vniuersi, desumi à Mercurio venali Soluens istud violentum; Eius incumbant præparationi, quæ facilis est negotij: Mercurij pondus, & Vasis adaptationem lubens ex charitate communicarem, sed ab Adeptis prohibeor, qui sigilli fractores detruunt in Orcum: obstacula rumpet ijs,

F 2

quos



quos Deus candidos nouerit : Inten-  
 tio igitur nostra est, quod spiritus me-  
 tallicus per vulgarem Mercurium ,  
 præparatissimum tamèn , reseratus à  
 Corpore perfecto , & vt *Marsily Fici-*  
*ni* pæne verbis vtar *in capite quarto* ,  
 crassiori non cohibetur materia , sed  
 per quandàm sublimationem ad ignè  
 segregatus , secretusque , mòx in sua  
 sede naturali conseruatus , tamquàm  
 seminaria virtus , præter omne falsum  
 non solùm poterit sibi simile genera-  
 re , sed purificatus , mundificatus , &  
 subtiliatus terminari in illum poten-  
 tissimum Philosophorum Lapidem ,  
 perfectione quæuis imminuta corpo-  
 ra complere , & qualibet sorde im-  
 mundum Corpus repurgare , tinctura-  
 què sua restaurare , & in pristinum re-  
 nouare potentem , quo immenso cun-  
 ctos dotare Thesauro, fideles, ac Mi-  
 feri-

fericordes ex corde deprecor Altissi-  
 mum, cui in æternum laus sit, & be-  
 nediçtio. Nec est, quòd quis dicat,  
 verum est dari Soluens violentum, sed  
 illud esse vnicum tantùm famosum Al-  
 chaest, quod quidem corpora cuncta  
 dissoluit, at dissoluta destruit, & pri-  
 uat virtute illa seminali, & prolifica  
 quòdā vegetationem, & multiplica-  
 tionem; nam idèd violentum Soluens  
 in medium non adduximus cum præ-  
 citatis Auctoribus, ac si liquoribus,  
 per eos insinuatis indigere significa-  
 remus, sed vt prò comprobatione  
 nostrę sententię solùm ostenderemus,  
 Arti non repugnare Corporum solu-  
 tiones in naturam Mercurij excluso  
 Sapientum argento viuo. Superiùs  
 præterea innuimus, Auri physicam  
 Solutionem nostram esse, non violen-  
 tam, quam per spiritum illum, visi-  
 lem

lem, qui in se inclusam illam continet animam mediam naturam, non per violentum soluens, perfici, & absolui contendimus solo medio externo calore adiuuante, ac illam promouente; Concluditur ergò iterùm, medium nostrum appellitari violentum Soluens, quatenùs spiritum excitat solumodò, vt Corpus suum relinquat, qui liberatus à carcere, in quo inutilitèr detentus, & postea per artem mundificatus, & exaltatus Corpus firmum mortuum permeat, resoluit, quod tandèm nobis resuscitatum, & gloriosum restituit, terminatum in Lapidem illum sublimiorem videlicèt, qui nil aliud est, quàm Aurum in supremum maturitatis gradum exaltatum. Ex quâ definitione, vniuersa Philosophorum turba vnanimitèr approbata, placet hìc per impertinens firmiter

mitèr concludere ex foliis Auri Corpore prodire verum auriprolificum semen, tam masculinum, quàm fæmininum: In tantùm Aurum in supremum perfectionis gradum deducitur, in quantùm Mercurius sui Corporis separatus, & inseparabilèr Mercurio Sophico coniunctus, per sulphur proprium, priùs segregatum, ablutum, & ab internis fæcibus vindicatum, ità in decoctione exaltatur, vt non ampliùs Aurum sit, quale erat prius, sed aureus lapis, & nouum Corpus glorificatum: hinc ad nos, certum est Mercurium illum Sophycum, licèt animatum, siuè duplicatum sit, adhuc crudum, & indigestum esse, & per consequens summa indigere decoctione, antequàm in optatum terminetur, (Mercurius siquidèm crudus solus ille est, qui Corpora soluere perhibetur)

qua-



quamobrèm ab intelligentibus facilè  
 concludetur, quod sulphur ipsum au-  
 rificum faciliùs conuertet naturam  
 suam mercurialem in lapidem, quàm  
 Mercurium sui Corporis separatum,  
 qui per Mercurium Sopicum rein-  
 trudatur, & in resolutione conuerti-  
 tur ad remotam materiam, quàm est  
 natura mercurialis; & hoc à fortiori  
 confirmatur, quia faciliùs est, intrin-  
 secum agens subigere, & in suam na-  
 turam reducere minorem, quàm ma-  
 iorem quantitatem subiecti, quod sibi  
 transmutandum subijcitur, quod &  
 vltro sperandum, dùm magis ipsi est  
 conueniens, & proportionatum.

## CAPVT QVARTVM.

*Edocet in Opere multiplices Spiritus, &  
Corporis sublimationes necessarias.*

**Q**Uotquòt de hac tam sublimi scientia conscripsere Philosophi, vnanimiter concludere corpora prius referanda, mòx purificanda, & sublimanda, & Spiritibus idem Opus necessarium paritèr conclamarunt; sed omnes distillationem, & solutionem cum ipsa sublimatione confuderunt, & iure quidè, nàm, vt in Turba legitur, si clariùs locuti fuissent, Pueri Scientiam nostram illusissent, nullaquè Sapientis ab Insipienti distinctio foret. Sed ne nimis à promissa breuitate, quàm mihi præmissi, elonger, sciendum est, Phosphorum nostrum, qui & noua penè (quatenùs

G

hucusq;

hucusque insolita, de solo Sole per-  
 tractat) quinque proponere necessa-  
 riò instituendas tam spiritus, quam  
 corporis sublimationes. Prima liqui-  
 dem sublimatio Spiritus tunc sequi-  
 tur, cum repagulis corporis vindi-  
 catur, cuius crassiori cohibebatur  
 materia. Secunda fit, cum Spiritus  
 ipse toties eleuatur, & iterum remis-  
 cetur corpore cum proprio, quò ad  
 ipsum intimè penetrando, denuò fa-  
 ctus sit glòbus vnus cum eo in colore  
 mirabili. Tertia Spiritus sublimatio  
 tunc euenit, cum separatur à terra sua  
 philosophica, corpore iam toto per  
 digestionem, & putrefactionem ad na-  
 tura Mercurij redactò. Quarta Spiri-  
 tus sublimatio est, cum per subtilem,  
 & artificiosam operationem denuò  
 pluriès exaltatus imbibitur corpori  
 suo calcinato. Quinta tandem, & vl-  
 tima

tima spiritus sublimatio perficitur, cum debita proportione terræ suæ physicè retentus, per actiuitatem propriam, & sibi connaturalem, extrinseco solo igne adiuuante, in Lapidem præfinitur: accedamus ad sublimationes quinque Corporis.

Prima Corporis sublimatio tunc fit, cum facta coloris spiritualis separatione, interùm per contritionem leuigatur, & coniungitur animæ mediæ naturæ. Secunda Corporis sublimatio sequitur per crebras corporis sublimationes, in quibus secùm retinet, & coagulat partes ipsas omnes spirituales. Tertia tunc Corporis sublimatio euenit, cum totale Corpus Auri subtiliatur, & resoluitur conuenienti putrefactione in oleum sulphureo-mercuriale. Quarta tunc corporis sublimatio est, quando cum præ-

ciosissima Solis Margarita separata, & distillata philosophicum sublimatur corpus calcinatum aridum, & ficcum, & sic exaltatur, vt in se solo contineat, quod Philosophi quærunt; Quinta tandèm, & vltima corporis sublimatio perficitur, cùm Terra phylosophica Phæbi ipsius coniugio, diue facta, decoquitur in lapidem, qui tandèm desinit in Rubinum perlucidum, chrysellinum, transparens, fixum, & tingens, diuinæ Omnipotentiae redolens mysterium. Istæ omnes sublimationes, tam spiritus, quàm corporis, requiruntur necessariò in opere nostro; nam si non separares, & sublimares Spiritum à corpore solari, Aurum nullo modo remolliretur; Si verò spiritum per repetitas operationes, & coniunctiones, non eleuares à corpore, illud nunquàm alteraret, nec perfecte-

fe&e penetraret: Si verò non subli-  
 mares spiritum à corpore oleoso, per  
 decoctionem vergeretur cum ipso in  
 terram fixam quidem, sed inutilem: Si  
 ipsum non sublimares cum terra phy-  
 sica pluries, at in vnica vice, Mare con-  
 fusionis fieret, & Pelagus conturbati-  
 onis; Ast quia paulatim tandèm ipsum  
 cum terra sublimasti, vertetur in sal il-  
 lud mirabile, quod quæsitam habet  
 potestatem illam mirabilem transmu-  
 tandi: Sic prima Corporis sublima-  
 tio requiritur, vt duræ compaginis  
 moles integra diuidatur in partes, in  
 quas agere postea soluens sit validum:  
 necessaria quoque est secunda corpo-  
 ris sublimatio, quia per illam redditur  
 intrinsecè leue, & quasi spongiosum  
 ita, vt in tertia sublimatione sic subti-  
 lietur, quod in Oleum euadat; & ideo  
 essentia sua priuatum, per quartam su-  
 bli-

blimationem gradus eos intensos igneitat, & siccitatis acquirat, per quos potens est humorem proprium in quadruplici proportione retinere, & per quintam, & vltimam sublimationem figere in Medicamen illud nobile, quod est Naturæ, ac Artis miraculum. Habes hinc igitur, beneuole Lector, sublimationes omnes, operi nostro conuenientes, generalitèr, & totalitèr explicatas; tuum tamèn erit considerare, cùm de vulgaribus, & cùm de philosophicis pertractarim; hoc vnicum pro tua intelligentia superaddens, me in aliquibus ex genio lulisse, & quòd multifarias operationes, scilicèt distillationem, descensionem, mixtionem, separationem, coniunctionem, solutionem, inhumationem, putrefactionem, congelationem, & fixationem, sub vnico sublimationis

no-

nomine volui contineri, ad incautos  
 decipiendos, non ignorans Studiosos,  
 doctissimorum Virorum librorum ca-  
 terua stipatos, quid, & quotuplex sit  
 physica sublimatio; si, & quomodo in-  
 stituenda veniat apud Adeptos, qui  
 cuncta posteris candidè tradiderunt:  
 Opus aurificum, tam theoreticè, quàm  
 practicè absolui; quod capiat, qui  
 potest.

### CAPVT QVINTVM.

*Differit, an Vita Hominis prolongari  
 possit, ut promittunt Philosophi.*

**S**cientiarum perfectam cognitio-  
 nem, haud difficilimam tantum,  
 verum & impossibilem, haberi,  
 ab *Ecclesiaste in octavo* desumitur, ubi  
 habetur: *Et intellexi, quod omnium ope-*



rum Dei nulla possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole; & quanto plus laborarit ad querendum, tantò minus inueniat: etiamsi dixerit Sapiens, se nosse, non peterit reperire: rationem dedit D. August. de Ciuit: Dei. Omnes, inquit, quod corporeus sensus attingit, quod & sensibile dicitur, sinè ulla intermissione temporis commutatur, veluti cum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in iuuenta efflorescit, perpetuò id fit, nec omninò intermittit fieri: quod autèm non manet, percipi non potest, illud enim percipitur, quod scientia comprehenditur; comprehendendi autèm non potest, quod sinè intermissione mutatur; non est igitur expectanda sinceritas veritatis à sensibus corporis, quibus cùm alligati simus, quis dubitabit, in varia, & ambigua, inania

nia, & falsa non prolabi? propter quod  
 tam diuersa in libris sunt proposita  
 philosophantium, vt cum *Apostolo*  
*fateri cogamur, omnem Donum Bo-*  
*num superni è Patris Lumine necessa-*  
*riò descendere:* esset igitur ab alto de-  
 sumendum rerum argumentum, quò  
 ex naturæ corruptæ imbecillitate scan-  
 dere nemo valet: ex tamèn coniectu-  
 ratis, & patefactis in natura imperti-  
 nentèr non asseremus, imò pro viri-  
 bus demonstrabimus, lapidem vitam  
 Hominis restaurare, ac in longum  
 protrahere posse: ex sacris namquè  
 paginis patet, etiàm post lapsum Adæ,  
 Protoplasti nostri, eiusque eiectionem  
 terrestri de Paradiso, in quo solo li-  
 gnum Vitæ efflorescebat, Seth, Enos,  
 Cainan, Malalael, Jared, Henoch, Ma-  
 tusalem, ac Lamech, per multa natu-  
 raliter vixisse sæcula cum ipso Adam,

H

quid

quid prohibet ergò, & hoc nobis non contingere posse, & tunc maximè quia id contendimus per Medicamina fieri? Nec valet obiectio, ex *Genesis* nono desumpta, dixisse, videlicet Deum, non permanebit spiritus meus in Homine in aeternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum: Altissimus siquidem tunc allocutus videtur de Hominibus ijs, qui illa in peruersa aetate vivebant, non de venturis: dedit enim Deus spatium centum, & viginti annorum tunc viuentibus, vt peniterent, antequàm aquis terræ submergerentur, sicuti vnanimiter, & rectissimè DD. *Chrisost.* & *Hyer.* super *Genesis* concludunt, quibus in decimo quinto de *Ciuit. Dei* assentitur *August.* hæcquè veritas ab effectibus patuit, quippè cum post vniuersale diluuium *Abraam* centum septuaginta quinque, *Ismael*

Ismael centum triginta septem, Isaac centum, & octuaginta, & quamplures alij longioribus vixere annis. Nulla est igitur pro vita nostra determinata abbreviatio per Dominum, licet constituti sint vitæ termini, qui præteriri non possunt. Insupèr si Serpens, antiquis reiectis squammis, repubescit, Aquilaquè renouatur, non videtur denegandum, proptèr Hominem (cui omnia maxima, & minima subiecta) Deum in terris non creasse aliquid, cuius bonitate incolatus prolongaretur. Idquè vltro confirmatur; Nam Vita longa non solùm mortalibus est ab ipsa Natura promissa, quæ vt Prens vniuersalis conseruationi suarum partium indefinentèr incumbit; sed ab ipso Deo, qui Ideò medicinam creauit, præcipitquè Medicum, præ ceteris honorandum, quem ob necessitatem

creavit, & in conseruationem humane  
 speciei. Christus etiã Ore proprio  
 dixit, *Medicis non indigere bene valen-*  
*tes, at infirmos & agros*, ex quo sanè  
 colligitur, Medicum adaptatione de-  
 bita rerum præparatarum, posse, &  
 morbos depellere, & vitam prolata-  
 re, dumodò sit vnus ex Vnguentarijs,  
 qui sciat conficere pigmenta suauita-  
 tis, non deficientia in opere suo: De  
 vita longa passim sunt hystoriæ apud  
 Authores, quibus inficiando non so-  
 lùm detraheretur, sed Omnipotentis  
 immensæ Bonitati, & Maieitati, qui  
 mirabilis, & potens est in Operibus  
 suis. Hinc luce meridiana clariùs ap-  
 paruit, Vitam longam, & à Natura, &  
 ab Arte nobis elargitam, sed quo me-  
 dicaminis vsu, nondùm determinau-  
 mus. Multa præscribuntur arcana à  
 Paracelfo, vt tinctura lilij, ab Electro

minerali immaturo desumpta, Elixir  
 proprietatis, & tinctura, seu lapis phy-  
 sicus principalior est Medicina apud  
 Adeptos omnes: *Helmontius* idem de  
*Electro*, & mox de *Elixiri proprietatis*  
*Theophrasti* cum reliquis confirmat Phi-  
 losophis, est talis virtutis & potentiae  
 esse physicorum lapidem, solus, quod  
 sciam inter Hermeticos ipse negavit,  
 imò per tria Naturæ regna solertissi-  
 ma discurrens indagine, Cætim vni-  
 cum resolutum, quatenus incorrupti-  
 bilem, & immarcescibilem pro arbo-  
 re vitæ longæ elegit: ratio autem, qua  
 decantatam virtutem lapidis denega-  
 vit, extitit, quod putauerit, Vitam  
 longam dumtaxat desumendam ab ijs,  
 quæ primigenijs nostris constitutivis  
 permisceri solummodo possent, non ve-  
 rò ab alijs, & præcipuè Mineralibus,  
 & Metallicis, quæ cum sint fixissimæ

com-

compositionis, & summæ in igne constantiæ, fermentis nostris nullo modo subigi possunt, & per consequens in partium alimentum nullatenus conuerti; qua doctrina, nulla altercatione, admissa, dico etiã stare inconcussam, & verissimam cæterorum Philosophorum sententiam, penès quos satis cognitum ab experientia fuit, multa, per sibi in parua quantitate adiuncta, vltro perdurasse, quàm possibile videretur naturalitèr. Dicam quid viderim: Noui Hominem, qui grana viginti quatuor cuiusdam, mihi ignotæ, rei addendo candelæ pinguedinis hircinæ, quæ plerumquè spatio horarum quinque consumebatur, vsque ad decimam sextam perdurasse solita cum flamma, & lumine claro illo, quod simplex effundere solebat. Quo experimento satis apparet, vitam

Ho-

Hominis per adhærentia quoque so-  
 lumodò prolongari posse, & sic Lapi-  
 dem, quamvis primigenijs nostris  
 constitutivis negetur posse intimè per-  
 misceri, sufficere eius adhærentiam, &  
 ex consequenti posse præstare Vitam  
 longam: frustranea quoque fuisset tam  
 exactissima Auri sub Mineris deco-  
 ctio, spiritusquè illius ætherei tenacis-  
 simum cum corpore fædus irritum,  
 dùm per ipsum *Helmontium* in Vene-  
 re ipsa præstantium sulphur habere-  
 mus ad Vitam longam, quod tam diu-  
 turno temporis interuallo incassum e-  
 laborasset Matura, quod affirmare lon-  
 ge dissonum. Cocludamus ergò cum  
*Marsilio Ficino* Magistro nostro, quod  
 sicuti omnis Natura est in Sole, & Sol  
 in omni natura, firmitè credendum  
 est, inter Archeum, & igneum illum  
 spiritum aliqualem intercedere natu-  
 rarum



rarum proportionem, & affinitatem; quibuscum Vitæ Rector ille, & Patronus fulcitus, eam prolongare possit, ut veridicè ipsius exaltati Spiritus possessores litteris commendarunt.

CAPVT SEXTVM, ET  
VLTIMVM.

*Praxim integram Solaris Magisterij  
candidè præscribit.*

**D**Euenimus tandèm, annuente Deo, post multifarias quæstionum propositiones, & resolutiones, quibus nostram operationem passim disperimus, ad recolligendam Solaris nostri Magisterij completam, & integram praxim, quæ sic perficienda venit: antè omnia necesse est, ut sufficientia vitrea vasa cum adapta-

tis Furnellis tibi Pares: indè fumes de-  
 bitam quantitatem Mercurij venalis,  
 quem, per se, absquè additamento rei  
 alicuius tam extraneæ, quàm suæ na-  
 turæ affinis, à superfluis vindicabis:  
 Signum rectæ præparationis pulveris  
 nullius in tui Vasis fundo nota: Hunc  
 sic purificatum, & feruidum in sextu-  
 pla proportione se habentem, cum  
 Auro, in subtilissimum pollinem re-  
 dactò, coniunges, vt norunt Aurifa-  
 bri, hæc coniuncta, & calentia in con-  
 similem aquam spirituales inijcias  
 debitis cum obseruationibus, & cau-  
 telis, nè & malagma, & aquam tuam  
 reseruatam amittas, cum expensarum  
 non solùm, sed & vitæ tuæ detrimen-  
 to, & periculo; artificiosam hanc in-  
 telligat mechanicam, qui potest, cir-  
 ca quam, me licèt clarissimè detex-  
 rim, non ambigo, quin pleriquè pl-

rima multotiès stolidà, & ridiculà non  
 sint commentaturi. Milagma hoc per  
 aquam dispersum, à Mercurio, dum  
 per corium traiecis, separabis, &  
 postea conteres per se, ac ità supèr  
 porfidum leuigabis, quòdà instar Bu-  
 tiri digitis contrectari quæat. Illud  
 indè pondera, ac eiusdem aquæ, in  
 qua extinctum fuit, & frigefactum,  
 permisce portionem talem, vt cum  
 Mercurio, quem retinuit in duodeci-  
 ma proportione se habeat ad præcium:  
 Omnia superinfundes in Vrinale vi-  
 treum, optimè incrustatum, ac iun-  
 cturis diligentissimè clausis, nè euo-  
 let aliquid, in Furnello collocabis, &  
 ignem carbonum subijcies, virtute  
 cuius, quamuis aliqualitèr leuissima,  
 minimo temporis spatio, animi tui  
 cum admirabili gaudio, & incredibili  
 letitia, Solarem illum spiritum cor-  
 pore

pore suo pedetentim eleuari, & secer-  
 ni videbis: post extillabit Mercurius,  
 quem in aliud Vas excipias, & ne to-  
 tus transeat, cura diligentèr, vt pau-  
 latim frigescat Furnus, & Vasibus fri-  
 gefactis, Aquam tuam, in Vrinali im-  
 positam, inuenies cum ipso toto penè  
 argento viuo remansisse Corpori com-  
 mixto: *Omnia*, coitionibus reiteratis,  
 crassum semper reijciendo, simul tere,  
 & iterum, iterumquè tere, quoad in-  
 muturgis sublimationibus solùm ele-  
 uetur argentum viuum vulgare, & cor-  
 pus in colore mirabili cum secreto spi-  
 ritu perstiterit, & in vnum coagulatum  
 fuerit; quod eximatur, conferatur, &  
 in Vase colli longi imponatur, her-  
 meticè sigilletur, ac spatio Mensis  
 Philosophici digeratur, & resolutum  
 ad oculum videbitur in præciosissi-  
 mum liquorem, oleosum, viscosum,

& incredibilem suauitatis odorem redolentem : mox post debitas extractiones, & distillationes, terram ab ipso Oleo artificiosè separabis, quàm per ignis torturam fortitèr sublimabis, quò ad appareat alba, & vt nix candidissima; illam postea humore proprio irrorabis, & per quadruplices solutiones, & coagulationes sic exaltabis, vt fiat propinquissimum subiectum illud lapidis physicorum, quod iam antè appropriato Vitro inclusum, & mox vitro liquefacto sigillatum, ne respiret, & ad conueniens ignis regimen positum in quadraginta diebus incipiet denigrari, sed non in colore nigredinis illo, quem sibi stolidum fingit vulgus; apparebit siquidè illa in colore mali fracidi, qui color sensim de die, in diem amplior fiet, & magis perspicuus, sicquè maiorem ostendet

det intensionem vsquè ad completos alios dies quadraginta . Hucusquè peruenit mea experientia ; & ideò nil ampliùs colorum antè oculos Lectoris specificè ponam, ipse eos cum Adepis sibi paret, & præsertim cum *Philaleta*, qui candidè illos descripsisse dicitur . Hoc vnicum pro corollario tandem communicabo : Ignem in nostro hoc opere Solari administrandum æqualem, & continuum à principio, in medium, & ad finem vsquè; Ignis etenim, qui intendendus est, internus, non externus est, qui prometur per non extimi intermissam caloris administrationem : Signa ignis, & putrefactionis tradita, Adeptum à putatitio distinguunt Philosopho .

F I N I S .

*Imprimatur*

**F: Antonius Caballus S. T. P. & Vi-  
carius Generalis S. Officij Arimini,**

*Imprimatur*

**Ioannes Laurentius Castellarius pro  
Vic. Generalis Fani,**



